





1772, 2  
20

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**PIGNORVM PRAEROGA-**  
**TIVA GENERATIM, ET SPECIATIM**  
**DE PIGNORE PVBLICO, PIGNORI**  
**LEGALI NON INDISTINCTE**  
**ANTEPONENDO.**

Q V A M

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN ALMA ET PERANTIQA VNIVERSITATE ERFVRTENSI,  
NVNC INSTAVRATA EMERICIANA,

S I N E P R A E S I D E

**PRO GRADV LICENTIATI**  
AC PENDENTIBVS INDE PRIVILEGIIS ET HONORIBVS

RITE CONSEQVENDIS

D. X. AVG. MDCCCLXXII.

IN AUDITORIO IVRIDICO  
DISQVISITIONI ERVDITORVM PVBLICAE SVBMITTIT

A V C T O R

**FRIDERICVS HENRICVS SATOR**

ASCHAFFENBURGENSIS MOONVS.

\* ERFORDIA, EX OFFICINA HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYF.

DILECTISSIMO INVOCATORIS LITURGIA  
22  
HIC NORMA PRAEFORMAT  
HIC NORMA MELITIS SPERATIM  
DE HIC NORMA Sicut IEGO HIC NORMA  
LEGIT NORMA DISCIPLINAE  
VNTIPORIUM

EX DILECTIONE ET INVOCATIONE DOMINI QVIETIBUS  
IN MATERIIS TERRITORIALIA INVOCATIONIBUS  
MAGISTERIARIBUS TERRITORIALIBUS  
21 DE HIC NORMA  
PRO GRADO LICENCIATI  
22 DE HIC NORMA TERRITORIALIBUS  
NITI COORDINATI  
23 DE HIC NORMA  
IN VATICANICO VATICANO  
24 DE HIC NORMA TERRITORIALIBUS  
TERRITORIALIBUS  
25 DE HIC NORMA TERRITORIALIBUS

LITERATRICAS HIC NORMA TERRITORIALIBUS

REVERENDISSIMO ATQUE  
ILLVSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO  
FRANCISCO PHILIPPO  
VALENTINO  
S. R. I. LIB. BARONI  
DE FRANCKENSTEIN,  
IN OCKSTADT,

METROPOLITANAEC ECCLESIAE MOGVNTINAEC CANONICO  
CAPITVLARI ET ARCHIPRESBYTERO, EMINENTISSIMI AC  
CELSISSIMI ARCHIEPISCOPI AC ELECTORIS MOGVNTINI  
CONSILIARIO INTIMO ET CAMERAE PRAESIDI, ECCLE-  
SIAE COLLEGIATAE AD S. VICTOREM PRAEPOSITO,  
ECCLESiarVM EQVESTRIVM AD S. ALBANVM VT  
ET S. FERRVTII IN BLEIDENSTADT CANONICO  
CAPITVLARI, CET.

DOMINO AC MAECENATI  
MEO INDVLGENTISSIMO

REVERENDISSIME ATQVE ILLVSTRISSIME  
DOMINE,  
DOMINE INDVLGENTISSIME.

**Q**uum facilis omnibus ad TE pateat accessus,  
omnesque, quos tuam in tutelam recipis,  
optime firmatam esse salutem suam profiteantur,  
me quoque ad hunc portum configere, ac sub Tuo  
prae-

praesidio placide suaviterque delitescere, indulgentissime patiaris, DOMINE ILLVSTRISSIME. Finito Academico cursuratem studiorum meorum redditurus TIBI, REVERENDISSIME DOMINE, quem singularis eruditio ac virtus praestantissima harum rerum arbitrum competentem designat, hocce Laborum meorum specimen submittere, Tuaeque Cu- rae fortunam omnesque vires meas concredere sustineo. Evidem summarum virtutum tuarum splendorem Clementia atque humanitate maxima temperare soles, nec tam laudari, quam res Laude dignissimas gerere cupis, at excellentia tua in rem publicam merita, celari nesciunt, in omnium oculis versantur, ac in omnium felicitatem influunt, & proinde omnium quoque ore celebrantur.


Vt enim olim pietate Metelli, sapientia Laelii, iustitia constantiaque Catones Romae monstrabantur, ita harum virtutum omnium summa in TE quasi collecta resplendet. Quam felix igitur CEL-

CELSISSIMI EMERICI IOSEPHI aevum dicendum  
est, quod Tuis TIBIque similium herorum togato-  
rum illustratur virtutibus! quae felicitas ut sit quam  
maxime durabilis ac diurna, utque TV in primis,  
DOMINE INDVLGENTISSIONE optima atque in-  
concuessa valetudine, rerum tuarum laetissimo flo-  
re, consiliorumque saluberrimorum optimo succes-  
su gaudens ad seram usque senectam proveharis,  
Tuorumque meritorum fructus uberrimos nun-  
quam non colligas, omnes boni mecum ferventis-  
simis precibus exoptant. Me vero, si gratia Tua,  
cui me meaque omnia venerabundus committo, frui  
perpetuo liceat, vel maxime ea re esse beatum exi-  
stimabo

REVERENDISSIME ATQVE ILLVSTRIS-  
SIME DOMINE  
DOMINE INDVLGENTISSIONE

DABAM ERFORDIAE  
IN ALMA EMERICIANA  
D. X. AVG. MDCCCLXXII.

TVI NOMINIS  
CVLTOR AC SERVVS HVMILLIMVS  
F. HENRICVS SATOR.



S. I.

DE FIDE QVAE PERSONIS, QVAE REBUS HABETVR, ET DE  
OBLIGATIONE ACCESSORIA.



V id, quod alius nobis debet, vere consequi possimus, non sufficit verum subesse nomen, sed requiritur, idem esse bonum seu Debitorum tam velle, quam posse id praestare, quod est in obligatione, quorum prius a voluntate ac honestate Debitoris, posterius ab ejusdem viribus & non raro a casu pendet. Quum igitur non plenam in debitoris honestate ac viribus fiduciam ponimus, ut is magis se obstringat, & principialis obligationis firmandae causa accessoriā in se suscipiat, curatur, eaque accessoria obligatio principalem vel magis intendit, hoc est, plures maioresque ejus adimplendae rationes addit, quod quidem fit Cautionibus verbalibus, nude promissoria & juratoria; vel extendit ad res personasque antea non obligatas, quae nunc nexui obligatorio implicantur, eaeque sunt cautiones reales, pignoratitia & fidejussoria seu satisdatio. Major semper rebus inesse visa est securitas, quam personis; nam res oppignoratae ita sunt obligatae, ut earum possessio & custodia simul ad Creditorem transierit, utque ei jus reale contra quemcunque tuendum compe-

A tat;



tat; fidejussoribus autem ideo magis creditur, quam debitoribus principalibus, quia non admittuntur, nisi sint idonei, nempe vel per se majorem fidem mereantur, vel possessione rerum immobiliaum majorem Creditori securitatem promittant. Caeterum haec Cautionum genera, quod ex ipsarum natura adparet, accessoriae tantum sunt obligationes, quae non intelliguntur, ubi nulla principalis subest causa debendi <sup>1)</sup>, & proinde cum hac ordinarie stant & corrunt. Nos missis reliquis, solum pignus & hypothecam considerabimus.

## S. II.

PIGNVS. NEXVM. FIDUCIA.

Pignus proprie sic dictum est Ius in re mobili constitutum eum in finem, ut is cui aliquid debetur, de adimplenda obligatione principali securior reddatur. Hoc jus in re consistit in jure non modo rem oppignoratam possidendi, eamque si ab alio detineatur repetendi, donec debitum principale solutum vel alio modo legitimo extinctum fuerit, sed etiam in jure illam rem alienandi, si satisfactio alio modo obtineri nequeat. Id jus ordinarie per conventionem expressam & traditionem in creditorem transfertur; veteres autem, ut erant rigido formularum ac rituum juri addicti, heic quoque suas solemnitates, nempe *jus nexi*, adhibebant, de quo ita VARRO <sup>2)</sup>: *nexus* Manilius scribit esse quod per aes & libram geratur, in quo sunt mancipia. Scaevara, quae per aes & libram siant ut obligentur, praeterque quae mancipio dentur. Hoe verius esse ipsum verbum ostendit, de quo quaeritur; nam idem quod obligatur per libram, neque suum sit, inde nexus dicitur. Ita etiam FESTVS <sup>3)</sup> pronunciat: *nexus* est, ut ait Gallus Aelius, quodeunque per aes & libram geritur, id que neci dicitur, quo in genere sunt haec: testamenti factio, nexi datio, nexi liberatio. *Nexus* aes apud antiquos dicebatur pecunia quae

<sup>1)</sup> I. 31. & 33. D. De pign. I. 1. C. De non num. pecun. <sup>2)</sup> De LL. pag. 58. <sup>3)</sup> de verb. sign. p. 127. & 334.

*per nexum obligatur.* Adhibebant igitur veteres in mutuo dando imaginariam suam venditionem per aes & libram, & sponsonem, qua debitor, ni solveret, Corpus suum & per consequentiam etiam bona sua creditori addicebat, quod etiam VARRO innuit, qui statim adjectit 4): *Liber qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debeat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaseratus; hoc C. Popilio ro-gante, Sylla dictatore sublatum ne fieret, & onnes qui bonam copiam ju-rarent, nec essent nEXI, dissoluti.* Et non modo nEXI datio sed etiam nEXI liberatio per aes & libram fieri debebat, quod ex Livio adparret, qui ita de M. Manlio 5): *Centurionem nobilem, judicatum pecu-niae cum duci vidisset, manum injectit, inde rem creditori, palam popu-lo, solvit, libraque & aere liberatum emittit.* Argentariorum autem praecipue opera, ut in aliis quibuscumque negotiis, ita etiam in nEXI datione & liberatione Romani uti solebant 6). Mitius pedetentim sentire coepерunt Romani, ita ut non corpus debitoris, teste Varrone, sed tantum rem debitoris quandam juri nEXI subjicerent, in qua tamen creditor dominium certis limitibus restrictum con-sequebatur. Hinc recte SIGONIVS 7) jus nEXI definit: *jus dominii, oppignoratione aut alia obligatione adquisiti.* Idem jus fiducia diceba-tur. ISIDORVS 8): *fiducia est, inquit, quum res aliqua sumenda mu-tuae pecuniae gratia vel mancipatur, vel in jure ceditur.* Mancipa-tur scilicet, si est res mancipi, si nec mancipi, in jure ceditur. Et eatenus nulla quoque inter rem mobilem & immobilem differen-tia intercessisse, sed utraque, vel per mancipationem vel per cessio-nem in jure, pignoris nEXU constringi potuisse videtur.

A 2

S. III.

4) loc. cit. 5) lib. 6. cap. 14. 6) de argentariis vid. Oelrichs thes. di ff. Vol. 2. tom. I. n. I. 7) de ant. Iur. Civ. Rom. L. I. C. II. vid. quoque Ernesti clav. Ciceron. voce mancipium & nEXUM. 7) orig. lib. 5. p. 932.



## §. III.

## CONTRÁCTVS PIGNORIS, FACTVM HYPOTHECAE

Ex quo Romani solennitatum civilium ambages & rigorem fastidire, ac in commerciis aequitatem naturalem agnoscere & sectari coeperunt, pignoris quoque negotium vinculis quibus impeditabatur exsolverunt, illudque ad contractus juris gentium, qui re inventur <sup>9)</sup> retulerunt, nihil aliud desiderantes, quam rei, quae secundum praestare creditorem debet, liberam traditionem, ex qua non modo obligatio ad rem soluto debito restituendam, (quippe quae obligatio restituenda rei, in omnibus contractibus realibus non in perpetuum, sed ad certum tempus, usum & finem, datae, omnibus contractibus realibus ex sua natura inest,) sed etiam ipsum Ius securitatis quod supra, initio §. 2., descripsimus, in re oppignorata enascatur. Quod jus quum in re mobili tantum actu & corporaliter tradita usu venire posset, ac proinde res mobiles obligandae veteres fiduciae formulas & ambages adhuc desiderarent, peropportune subvenit praetoris edictum, cuius verba restituit NOOTIVS <sup>10)</sup>, quo pactum hypothecae, nempe rei immobilis creditoris in securitatem obligatae, antea invalidum nunc ad eundem valorem elevabatur, ac si res illa actu in creditorem translata fuisset, ex quo etiam illud pactum non amplius nudis, sed praetoriis adnumeratum fuit, & proinde *inter pignus & hypothecam tantum nominis sonus differt* <sup>11)</sup>, quum valore & effectu juris plane convenientia.

## §. IV.

## PIGNVS VOLUNTARIUM EXPRESSVM ET TACITVM.

Iura nostra non nisi volentibus nobis in alios transeunt; <sup>12)</sup> sive directe, idque vel expresse vel tacite, sive indirecte velimus, perinde

<sup>9)</sup> Herm. Vultej. Iurispr. Rom. lib. I. Cap. 30. pagina 171.  
<sup>10)</sup> ad tit. D. de pign. tom. 2. opp. pag. 232. <sup>11)</sup> I. 5. §. I.  
 D. de pign. <sup>12)</sup> I. 31. D. de D. R. I.



5

de est. Directa voluntas nostra, quam etiam veram dicunt si est libera, ab errore culpoſo vacua, & matura, id jure a nostra parte fit, quod intendimus. Idem igitur locum habebit in contractu pignoratio ineundo. Quum autem in hoc negotio jus securitatis alteri permittitur, idque non raro oppignoratae rei alienationem demum exigat, hinc Leges eadem quae in alienationibus requiruntur, etiam in oppignorationibus fieri jubent. Directa voluntas claris significari verbis potest, in pignore constituendo, idque tam actu inter vivos, quam mortis cauſa; prius erit pignus conventionale, posterius pignus testamentarium expressum, quod eodem jure ac quaevis alia res incorporalis legari poterit, nempe illud jus in re oppignorata statim post debitoris seu testatoris mortem absque traditione in creditorem transibit. Directa voluntas tacita ex factis, quae tam evidenter mentem nostram, ac verba ipsa, significant, colligitur. Leges quidem nostrae pignori tacito aliam notionem tribuunt, eoque nomine potius pignus a lege constitutum denotant (13); sed occurrit tamen pignus tacitum in eo sensu, qui vulgariter huic voci adhaeret, nempe in I. 5. §. 2. D. in quibus *Caūſis pignus vel hypotheca tacite contrahitur*, ubi MARCIANVS ita: *si quis, inquit, fidejubeat, cum res illius pro quo fidejussit, pignori data sit, bellissime intelligitur, hoc ipso quod fidejubeat, quodammodo mandare res suas esse obligatas; sane si postea sint ejus res hypothecae datae, non erunt obligatae.* Pignus nimurum in re aliena constitutum non onerat dominum ejus rei, nisi consentiat, vel ratihabeat; jam si fecit rem suam esse oppignoratam & fidejubet pro eodem debito, hoc sane ita accipendum est, ut in oppignorationem nunc consensisse, eamque ipso hoc facto adprobasse & quodammodo mandasse intelligatur. Cui non obstat, quod in I. 54. D. de fidejuss. dicitur: *non enim pro pignore (fidejussor) sed pro pecunia mutuam fidem suam obligat.* Ea enim lege PAVLVS de alia plane specie loquitur: debitor rem minoris

A 3

pre-

(13) Digest, lib. 20. tit. 2, Cod, lib. 8. tit. 15.



pretii, vel alienam ignorante domino, vel quomodocunque inhabilem pignori subjecit, intuitu ejusdem debiti principalis fidejussorem quoque, qui autem non est rei oppignoratae dominus sed tertius quisque, dedit. Creditor cui ex pignore satisfieri non potest, a debitore deceptus actione personali pignoratitia contraria id quod interest petit, quod idem a fidejassore peti posse, qui ad cauſam pignoris non accessit, nec se pro ea quoque obligavit, recte in lege negatur: *si in pignore contrahendo deceptus sit Creditor, qui fidejussorem promutuo accepit, agit contraria pignoratitia actione; in quam actionem veniet quod interest creditoris; sed ea actio fidejussorem onerare non poterit; non enim pro pignore sed pro pecunia mutuam fidem suam obligat.* At fidejussor licet intuitu ejus quod interest non oneretur, intuitu debiti principalis omnino nunc tenebitur aequo ac in ea specie qua pignus ruina amissum est: *amissi autem ruina pignoris damnum tam fidejussoris quam rei promittendi periculum spectat 14).*

## S. V.

## CONTINVATIO.

Ita etiam tacitum dici pignus potest, quo tota res quaedam pignori subjecta & partes per accessionem adjunctae, licet non expressae, sub eodem nexus comprehenduntur: *Fructus pignori datorum praediorum, et si id aperte non sit expressum, & ipsi pignori creduntur tacita passione inesse, dum videlicet pendent 15).* Si mancipia in cauſam pignoris ceciderunt, ea quoque quae ex his nata sunt, eodem jure habenda sunt 16). Imo si contrahentes magis ad materiam quam ad formam rei oppignoratae respexerint, etiamsi res hypothecae data postea mutata fuerit aequo hypothecaria actio competit 17). Omnis bonis obligatis singulas species, quae in debitoris bonis actu inveniuntur.

14) l. 52. pr. de fidejuss. & mandat. 15) l. 3. C. in quibus cauſis pig. vel hypo. tac. contr. 16) l. 29. §. 1. & l. 26. §. 2. D. eod. add. l. 16. pr. D. de pign. 17) l. 16. §. 2. D. de pign.

veniuntur & de quibus libere disponere potest, teneri nullum dubium est; idem valet de futuris expressa conventione oppignoratis 18), quae sub conditione, si adquirantur, obligata censentur. Bonis autem omnibus generaliter obligatis, non expressa futurorum mentione facta, nec futura tacite comprehensa videtur, tacita enim voluntas non ex interpretatione verborum aut factorum extensiva, sed declarativa elicienda est, nec potest quis dici id oppignorasse tacite, quod nondum habet, & de quo non cogitat. IVSTINIANVS autem contrariam sententiam lege sanxit 19): ut si res suas supponere debitor dixerit, non adjecto, tam praesentes, quam futuras, jus tamen generalis hypothecae etiam ad futuras res producatur, addita ratione, cum sit justum voluntates contrahentium magis, quam verborum conceptiones inspicere. Etsi autem generaliter eis eti concepta hypotheca, veteres ea non comprehendendi putabant, quae ad usum debitorum necessarium & quotidianum pertinerent; YLPIANVS 20) obligatione, inquit, generali rerum, quas quis habuit, habiturus ve sit, ea non continebuntur, quae veri simile quemquam specialiter obligaturum non fuisse, ut puta supellex, item vestis relinquenda est debitori cet.

S. VI.

## PIGNVS LEGALE.

Altero sensu pignus tacitum est ab ipsa lege concessum, idque vel generale, in omnibus scilicet debitoris bonis, vel speciale, in quibusdam tantum. Singulari juris favore fruuntur filii, pupilli & uxores, his igitur jus pignoris Leges in bonis debitorum omnibus dederunt, etiamsi nihil de pignoratio nexu nominatim convenierit; qui enim talibus se immisceret rebus, quibus leges plenam securitatem caverunt, ipso hoc facto tacite nexus a lege sancitum agnoscere videtur; & hinc recte NERATIVS 21) talia negotia quasi ex

con-

18) l. 7. D. eod. 19) l. ult. C. quae res pignori obl. poss. 20) l. 6. D. de pign. 21) in l. 4. D. In quibus Caus. pignus vel hypo. tacit, contr, quod repetit Paullus d. l. 4. D. de pactis.



contractu nasci statuit: *Eo jure utimur, inquit, ut quae in praedia urbana inducta illata sunt, pignori esse credantur, quasi id tacite conveniret.* Non semper autem Leges dant pignus generale, sed in specialibus tantum rebus, quas debitum proxime adficit, pignus concedunt. Historiam & chronologiam pignorum tacitorum eleganter delineat Celeb. WESTPHAL 22). Vetustissima hypotheca legalis est, quam locator praedii rusticci habet in fructibus in fundo locato natis, & quam Locator prædii urbani habet in inventis & illatis ab inquilino, in securitatem mercedis praestandæ; ejus enim non modo mentionem facit NERATIVS ICTUS 23), qui sub Trajano vixit, sed ea hypotheca dudum ante ea tempora moribus introducta esse videatur. Solebant nimirum in praediis rusticis nata pro mercede obligari 24), in urbanis inventis; quod autem erat in more positum, ut alias saepe, in jus paullatim transiit, & pro dicto habitum est, sic ubi dictum non esset 25). Caeterum jus pignoris taciti in inventis & illatis antea ad urbem Romanam restrictum IUSTINIANVS 26) extendit, illudque non solum in utraque Roma, (nempe Roma & Constantinopoli) & territorio earum locum habere, sed etiam in provinciis iussit. In praediis autem rusticis inventa & illata non ipso jure pignoris nexus obstringebantur, sed expressa conventione opus erat, quam in rem dabatur actio serviana a praetore quodam, cuius actas incognita est, proposita, quæ deinde ad alia quoque pignora nomine quasi servianæ, a praetore alio forsitan, quod putat NOOT 27) vel interpretatione prudentum, ut colligit VINNIUS 28) inventæ producta fuit. Alterum pignus legale ANTONINVS PHILOSOPHVS proposuit, qui ita edidit:

- 22) Versuch einer systematischen Erläuterung der sämmtlichen römischen Gesetze vom Pfandrechte, Leipzig 1770. Cap. 5. §. 104.  
 23) l. 4. & 7. D. in quibus caus hyp. tac. contr. 24) l. 61. §. 8. D. de furtis. 25) Cujac. ad l. 4. D. de pactis. Vinnius ad §. 8. l. de action. 26) l. 7. C. in quibus Cauff. pign. 27) Comment. ad tit. D. de pign. pag. 440. 28) loc. cit.

xit: 29) *Creditor, qui ob restitutionem aedificiorum crediderit, in pecunia, quae credita erit, privilegium exigendi habebit. Quid ad eum quoque pertinet, qui redemptori, domino mandante pecuniam subministravit.* In hac lege creditori jus tantum praerogativa personalis conceditur, sed pignus legale ab eodem Marco datum est in l. I. D. in quib. Causs. pign. *Sicutum quod sub Marco Imp. factum est, pignus insulae creditor i datum, qui pecuniam ob restitutionem aedificii exstruendi mutuam dedit, ad eum quoque pertinebit, qui redemptori domino mandante nummos ministravit,* nam cum WESTENBERGIO 30) duas Marci Constitutiones statuimus, quarum prima praerogativa personalis, altera ipsum jus hypothecae tacitae introductum fuit. Ad eadem tempora referenda videtur origo hypothecae legalis, quae pupilli competit in bonis omnibus tutoris vel protutoris, curatoris & negotiorum gestoris; hujus enim hypothecae teste meminit CERVIDIVS SCAEVOLA, qui sub Antoninis vixit 31): *Tutoris heres cum herede pupilli transactio facta, cum ex ea majorem partem solvisset, in residuam quantitatem pignus obligavit;* quae situm est, an in veterem contractum jure res obligata esset, respondit secundum ea, quae proponerentur, obligatam esse; quam hypothecam deinceps CONSTANTINVS M. pupillis diserte concessit 32). ANTONINVS CARACALLA Imp. magnus ille fisci patronus, universa bona eorum, qui censemur, vice pignorum tributis obligata esse 33), ut & ejus qui cum fisco contrahit, bona veluti pignoris titulo obligari voluit, quamvis specialiter id non exprimatur 34). Paullus I CTUS, qui sub ALEXANDRO SEVERO Imp. vixit, differit 35) de hypotheca tacita quae conjugi intuitu pecuniae a se alteri conjugi donatae in bonis illa pecunia emtis competit. Quum enim prohibitate sint donationes inter virum & uxorem, pecunia ita donata, si adhuc extat

## B

## vin-

29) l. 24. §. 1. de rebus auct. Iud. postid. 30) in D. Marco diff. 41. quam sententiam solidis rationibus probavit Ill. WALCH in diff. de privil. pecun. in respect. aed. cred. §. 5. 6. Ien. 1771. 31) l. 10. D. in quib. Cauf. pig. 32) l. 20. C. deadministr. tut. 33) l. 1. C. in quib. Cauf. pign. 34) l. 2. C. eod. 35) l. 1. 5. D. de donat. int. V. & V.

vindicari potest, si vero non amplius exstat, sed rebus emendis fuit impensa, Ictus etiam in rem utilem actionem, hypothecariam scilicet, mulieri in ipsis res adcommodat, & sic tacitum pignus concedit. PHILIPPVS ARABS Imp. 36) militibus hypothecam legalem tribuit, in rebus ipsorum pecunia emtis. THEODOSIVS & VALENTINIANVS. Imp. 37) si mater legitime liberorum tutela suscepta ad secundas contra sacramentum praefitum adspiraverit nuptias, antequam eis tutorem alium fecerit ordinari, eisque quod debetur ex ratione tutelae gestae persolveri; mariti quoque ejus praeteritae tutelae gestae ratiocinus bona Iure pignoris tenetri obnoxia jussérunt. Imp. LEO & ANTHEMIVS 38) liberis prioris matrimonii in bonis parentis ad secunda vota transeuntis tacitam hypothecam dederunt intuitu bonorum quae ex priori matrimonio ad liberos pervenerunt & quae a parente jure ususfructus possidentur, quam hypothecam tacitam, etiam IVSTINIANVS 39) intuitu bonorum maternorum confirmavit. Idem Imperator intuitu dotis generalem dedit hypothecam 40) ex utroque latere, sive ex parte mariti pro restituione dotis, sive ex parte mulieris pro ipso doce praestanda vel rebus dotalibus evictis. Sunt qui hanc hypothecam jam a CARACALLA Imp. introductam putant ob l. 2. C. de privil. fisci: quamvis causa dotis vir quondam tuus tibi sit condemnatus, tamen si priusquam res ejus tibi obligarentur cum fisco contraxit, jus fisci caussam tuam praevenit. Sed nihil in hac lege de tacita hypotheca, quin verba legis etiam de hypotheca expresse constitutaintelligi queant; Iustinianus porro tacitam tribuit hypothecam uxoribus intuitu donationis propter nuptias 41) ut & paraphernorum 42) in bonis mariti; Idem legatariis tacitum pignus in bonis a testatore relictis 43) concessit.

## §. VII.

- 36) l. 8. C. de rei vindic. 37) l. 6. C. in quib. Cauf. pign. 38) l. 6. §. 2. 3. C. de secund. nupt. 39) l. 6. §. 4. C. de bon. quae lib. 40) l. un. §. 1. C. de rei uxor. aet. 41) Nov. 109. C. 2. 42) l. 11. C. de pactis conventis tam sup. dot. 43) l. 1. §. 1. C. Comm. de leg.



xi

## §. VII.

## PIGNVS VOLVNTARIVM PRIVATVM, PVBLICVM.

Legali tacito pignori quodammodo simile est pignus praetorium & Iudiciale, quum & haec invito quamvis debitori injungantur, & quidem praetorum ad compescendam contumaciam per immisionem in bona decernitur 44), Iudiciale autem ad executionem sententiae & rei Iudicatae spectat 45). Alia autem est ratio pignoris voluntarii, quod vel per modum ultimae voluntatis, vel per conventionem solet iniri. Quac Conventio ubi fuerit inter privatos & non adhibita fide publica celebrata *pignus dicitur privatum*, ubi autem publica autoritas fuerit interposita, *pignus publicum* appellatur, (publicum nimis ratione modi constituendi, quum & pignus legale a quibusdam publicum dici soleat, nempe a causa efficiente, a lege publica.) Ad publicum proxime accedit pignus, privatim quidem contractum, sed instrumento ea super re confecto probatae atque integræ opinionis trium vel amplius virorum subscriptionibus munitum; tunc enim quasi publice confectum accipitur 46).

## §. VIII.


## AN PIGNVS PVBLICVM PRAEFERATVR TACITO?

Quum plures in eadem re aut in bonis debitoris pignoris jus habent, omnibusque ex iis satisficerinequit, quaestio enasci solet, uter alteri sit praferendus? Leges quidem pignorum vim ac praerogativam satis accurate definiverunt, at non raro dantur tot tantique momenti harum regularum collisiones, ut in tanta Legum copia ab ipsis destitui legibus videamur, & ad ratiocinia argumentaque ex legibus petenda confugere cogamur. Nos missis alis questionibus ad pignorum praerogativam spectantibus, hanc solam paullo accuratius excutiamus: an publicum pignus sit praferendum legali prius orto pignori?

B 2

§. IX.

44) lit. D. ex quibus Caus. in possess. 45) l. 15. §. 2. 3. de re Iud.  
46) l. 11. C. qui pot. in pign.



## §. IX.

SIGNORIS ANTIQUITAS IVRE PRAECIPVM EST PRAEROGATIVAE  
FVNDAMENTVM.

Si pignus pluribus creditoribus, diversis temporibus fuerit obligatum, ipsa naturali aequitate jubente ille est praeferendus, qui tempore prior est. Agnoscit hanc aequitatem ANTONINVS Imp. 47) Cum de pignore utraque pars contendit, praevalet jure, qui praevenit tempore. Idque hac justissima de caussa, quia debitor re sua mihi obligata, omne suum jus in securitatem crediti in me transiulit, quod nova obligatione sine facto meo mihi eripere non potest 48) hinc debitorem neque vendentem neque donantem, neque legantem, vel fideicommissum relinquentem posse deteriorem facere Creditoris conditionem, certissimum est 49) ergo nec ulteriori obligatione quidquam de prioris Creditoris jure detrahi poterit. Imo hac in re nihil interest qualis sit Creditor, sive sit privatus, sive civitas aut ipse fiscus; ita enim rescripsit idem ANTONINVS 50): si fundum pignori accepisti, antequam reipublicae obligaretur, sicut prior es tempore, ita potior es jure. Nec ulla differentia a genere pignoris subnascit, & quod valet de conventionali, idem in legitimo & praetorio juris est 51), quod valet de speciali pignore, etiam de generali. Hinc si cui antea sint obligata omnia bona, postea alii ex iisdem bonis certa quaedam species, nihilominus prior posterior & in illa specie praefertur, etiamsi ex reliquis bonis ipsis satisfieri possit 52). Aliud est, si ea convenitio prioris fuit, ut ita demum cetera bona pignori haberentur, si pecunia de his, quae generaliter accepit, servari non potuisset, deficiente enim secunda conventione secundus creditor in pignore postea dato non tam potior, quam solus intervenietur 53). Aliud etiam est, si quis specialiter quaedam & universalia

fa

47) I. 2. C. qui pot. in pign. & g. eodem. 48) I. 11. D. de reg. jur. 49) I. 15. C. de pign. 50) I. 4. C. qui pot. in pign. 51) I. 10. D. qui pot. in pign. I. 3. C. ut in posseff. legator. 52) I. 2. D. & I. 6. C. qui pot. in pign. 53) I. 1. 2. D. qui pot. in pign.

sa bona generaliter pignori acceperit, quamvis enim constet euna  
aequale jus in omnibus habere, tamen jurisdictionem temperandam  
censem SEVERVS & ANTONINVS A. A. 54) ideoque si certum est posse eum  
ex his, quae nominatim ei pignori obligata sunt, universum dirigere de-  
bitum, ea quae postea ex iisdem bonis alias Creditor pignori accepit, in-  
terim ei non auferri praeses provinciae jubebit. Hujus dispositionis  
ratio est, quia Creditor speciale & simul generale pignus sibi consti-  
tui curans id egisse videtur, ut generale in subsidium tantum adhi-  
beatur si ex speciali satisfactio obtineri nequeat; ac proinde super-  
vacanea est CVIACII 55) distinctio, qui putat haec tantum locum habe-  
re, si ab initio specialis, postea generalis eidem Creditori hypotheca  
fuerit constituta, at in specie inversa alia omnia obtainere; nam Le-  
ges nullam hujus distinctionis mentionem faciunt, & ratio intentio-  
nis ad omnes casus, sive ab initio specialis & generalis hypotheca si-  
mul, sive alterutra tantum sit constituta, aequa porrigitur 56).

S. X.

QVOMODO AESTIMANDA PIGNORVM AETAS.

Facillime definiri potest cujusque pignoris aetas, si tempus no-  
rimus, quo fuerit contractum, & si debitum ad quod refertur pignus  
sit purum, janique ipso pignoris contractu inito existat. Si vero  
obligatio principalis nulla ratione perfecta adlit tempore contra-  
et us pignoratitii initi, sed a Creditoris vel Debitoris voluntate demum  
ejus existentia pendeat, pignus non prius, quam orta principali obli-  
gatione, initium capere poterit. Sic Titius quum mutuam pecuni-  
am accipere vellet a Mevio, cavit ei, & quasdam res hypothecae no-  
mine dare destinavit, deinde postquam quasdam ex his rebus vendi-  
disset, accepit pecuniam; quae situm est, an & prius res venditae Cre-  
ditori tenerentur? PAVLLVS respondit, quum in potestate fuerit debi-  
toris, post cautionem interpositam, pecuniam non accipere, eo tempore pü-  
gnoris

B 3

54) I. 2. C. de pign. 55) L. 3. Respons, Papin. 56) vid. West-  
phal, l. c, pag. 90.



*gnoris obligationem contractam videri, quo pecunia numerata est; & ideo inspiciendum, quas res in bonis debitor numeratae pecuniae tempore habuerit 57). Nec enim heic aderat obligatio debitoris ad pecuniam numeratam accipiendam, igitur omnis validitas pignoris ab eo pendebat momento, quo debitori pecuniam accipere numeratam & sic veram debendi caussam addere placuisse. Eadem ratione res se habet, si quis pignus accepit ad eam summam, quam intra diem certum numerasset, tunc enim si forte prius, quam numeraret, alii res pignori data est, hoc jure factum videtur 58). At e contrario, si debitum principale nondum existit, obligatio tamen ad illud suscipiendum adest, tunc quia certum est, debitum existit, pignus quoque in securitatem debiti futuri constitutum statim in ipso contractus pignoratitii initio nascitur, ejusque valor non usque ad illud tempus, quo debitum principale ortum capit, suspenditur. Vt si quis alterius aedes conduxit, & ratione mercedis praestandae pignus constituit, postea eandem rem alii ob pecuniam creditam pignori dedit, tunc quamvis conductor aedes conductas nondum inhabitet, tamen potior locatoris caussa est habenda; licet enim eo tempore res pignori data esset, quo nondum quidquam pro conductione deberetur, res tamen jam tunc in ea causa esse coepit, ut invito Locatore jus pignoris in ea solvi non posset 59). Idem juris est, si a parte promissoris adsit necessitas & certitudo debiti existit; ut aliquis dotem pro muliere promisit, pignus sive hypothecam de restituenda sibi dote accepit, subsecuta deinde pro parte numeratione maritus eandem rem pignore alii dedit, mox residuae quantitatis numeratio impleta est. Quaerebatur de pignore. Quum ex causa promissionis ad universae quantitatis exsolutionem, qui dotem promisit compellitur, non utique solutionum observanda sunt tempora, sed dies contractae obligationis. Nec probe dicitur, in postestate ejus esse, ne pecuniam residualiam redderet, ut minus dotata mulier effe*

57) L. 4. D. quae res pignori. 58) L. r. §. 1. D. qui pot. in pign. add. l. 9. §. 1. & 2. l. 11. pr. & §. 1. cod. 59) l. 9. pr. cod.

*esse videatur 60) prior Creditor etiam potior est, si sub conditione stipulatione facta hypotheca data sit, eaque pendente aliis credidit pure & accepit eandem hypothecam, & tunc demum prioris stipulationis existat conditio. Quum enim semel conditio existit perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset 61) quemadmodum in genere in contractibus conditio existens retrotrahitur ad principium actus 62).*

## X. XI.

## PIGNVS IN RE ALIENA CONSTITUTVM.

Pignus in re aliena consentiente domino constitutum intersectionis speciem exhibit 63), ignorante autem domino bona fide contractum partes quidem obligat personaliter, dominum autem nullo modo gravat. In re autem aliena pignus cum jure reali non alio modo contrahi potest, quam sub conditione si res debitoris propria fuerit, sub hac enim demum conditione res aliena utiliter obligari potest 64), quo tamen casu obligatio rei alienae non statim ab initio valet, sed ab eo demum momento quo res debitori aquifita fuerit 65). Non quidem datur hoc in casu ereditori in bona fide constituto actio ordinaria, quia verba edicti praetorii non eo usque pertinebant, sed tamen ob aequitatem utilis persecutio; ut Imp. DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS rescripserunt 66): *Quum res, quae needum in bonis debitoris est, pignori data ab eo, postea in bonis ejus esse incipiat, ordinariam quidem actionem super pignore non compere manifestum est, sed tamen aequitatem facere, ut facile utilis persecutio exemplo pigneratiae detur.* Nempe ut recte interpretatur NOONTIVS 67) exemplo actionis pigneratiae contrariae quanquam &

saepe

60) I. i. pr. D. cod. 61) I. ii. §. i. cod. 62) I. ii. §. i.  
D. qui pot. 63) I. 20. pr. D. de pign. &c. 64) I. 16.  
§. 7. D. de pign. & hypoth. 65) I. 9. §. f. D. qui pot. 66) I.  
§. 6. si aliena res pign. 67) ad D. lit. de pign. & hypoth.  
pag. 437.



saepe actione pigneratitia, actio hypothecaria intelligatur 68). Illi autem, qui sciverit, rem esse alienam, in eaque non pignus generale sed speciale acceperit, non conceditur utilis actio, sed tantum exceptio, PAPINIANO 69) auctore, qui: *In speciem, inquit, alienae rei collata conventione, postea debitori dominio quaesito, difficilis creditori, qui non ignoravit alienum, utilis actio dabatur, sed facilior erit possiden- si retentio.* (Verbis *difficilis dabatur utilis actio* contineri modestam negationem pluribus exemplis in medium allatis docuit NOOT 70.) Idem quod legibus generaliter sanctum esse modo diximus de creditore pignus bona fide accipiente a debitore qui postea rei op-pigneratae factus est dominus, in ea quoque specie valere debet, si debitor hereditario jure rei a se antea oppignerata dominium adquisivit, item ob paritatem rationis si commutata vice dominus cuius ignorantis res creditori est oppignerata jure hereditario in locum debitoris successerit; MODESTINVS expresse: si *Titio, inquit, qui rem meam ignorante me creditori suo pignori obligaverit, heres ex- flitero, ex post facto pignus directo quidem non convalescit, sed utilis pi- gneratitia dabatur creditori.* Cui repugnare videtur PAULLVS 71), qui, rem ait, alienam pignori dedisti, deinde dominus rei ejus esse coepi- sti. Datur utilis actio pigneratitia creditori. Non est idem dicen- dum, si ego Titio, qui rem meam obligaverat SINE MEA VOLUNTATE, heres exflitero, hoc enim modo pignoris persecutio concedenda non est cre- ditori. Neque utique sufficit ad competendam utilem pigneratitiam actionem, eundem esse dominum, qui etiam pecuniam debet. Sed si con- venisset de pignore, ut ex suo mendacio arguatur, improbe resfit, quo minus utilis actio moveatur. CVIACIVS & DVARENVS veram heic admittunt antimoniā & tempora distingunt, quod Paulli ac-

68) l. 7. §. 12. D. Com. div. l. 3. §. 3. D. ad exhib. l. 13. D. De Condit. indeb. 69) l. 1. D. de pign. 70) Comment. ad D. tit. de pign. pag. 437. & deform. emend. dolimali c. 12. 71) l. 41. D. de pignor. act.

tate scilicet nondum receptum erat, id Modestini aeo*v*o valuisse.  
 NOOTIVS in conciliandis his legibus desudavit 72), & demum statuit bene Paullo cum Modestino convenire, utriusque nimirum esse mentem pignus non convalescere ipso jure & solo facto successionis, sed demum nova heredis conventione ratum fieri, ad eamque novam pignoris conventionem, ut factum defuncti praefestet, heredem compelli posse contraria actione pigneratitia. At si utramque legem exactius ponderemus, vere de diversa specie loquuntur ICti. MODESTINVs loquitur de ignorante rei domino & inscio creditore, PAVLLVS vero de contradicente rei domino & conscientio creditore; his denegatur, illis vero conceditur actio, quae hic vocatur pignoris persecutio, seu utilis actio pigneratitia, h.e. utilis hypothecaria. Nam vocabula SINE MEA VOLVNTATE idem sibi volunt, ac me *invito* & repugnante, quemadmodum eadem figura dictioris etiam in aliis exemplis occurrit, ut quum *invito* patre & *sine voluntate* patris promiscue usurpantur 73); sic *sine pace* & *invito* Numine eodem sensu dixit VIRGILIVS 74):

Si *sine pace* tua atque *invito* Numine Troes  
 Italianam petiere, luant peccata.

Ita has Leges commode conciliant HERMAN VULTEIVS 75);  
 PETR. FABER, 76) VAN IDsinga 77) & VAN NISPER 78)

### S. XII.


ENTER PIGNORA PLVRA TEMPORE AEQUALIA ILLVD PRAEFERTVR, QVOD  
 SINGVLARI LEGVM FAVORE ET PRIVILEGIO FRVITVR.

Quum tempus nullam dat pignori prae reliquis praerogativam ipsa naturalis ratio dicit, aut omnia aqua*li* jure esse censenda,

### C

aut

72) cap. 12. de form. emend. dol. mal. & ad tit. D. de pign. pag. 437. 73) l. 6. §. pen. l. 37. D. ad L. Iul. de Aduet. 74) Aeneid. X. v. 31. 75) disput. schol. cap. 17. 76) semestr. lib. 2. c. 18. 77) Variorum juris civ. c. 17. 78) ad Herennii Modestini IX. libr. differentiar. c. 8, in Oelrichs thesauro diss. jurid. select. vol. I, n. I.



aut illud anteponendum, cui leges ipsae praecipuum momentum in-  
diderunt. Fiscus hac gaudet praerogativa, ut si cum alio concur-  
rat, eundemque eodem tempore debitorem ac jus pignoris conse-  
quatur, alteri creditori preeferatur. Idem est statuendum si in re  
futura oppignorata concurrant, ac fiscus post alterum Creditorem  
jus pignoris in ea re futura nactus fuerit; In re enim futura aequo  
ac in re aliena ut demonstravimus pignus quoad effectum non pri-  
us convalescit, quam ea res vere in bonis debitoris esse coeperit,  
quod dum sit, eodem momento concurrunt fisci aliasque quilibet  
privatus Creditor, ita ut neuter tempore prior dici queat, at fisci  
causa ob privilegium potior est & ita intelligendus videtur VLPIA-  
NVS 79): si qui mihi obligaverat, quae habet, habiturusque esset, cum  
fisco contraxerit, sciendum est, in re postea adquisita fiscum potiorem esse  
debere, Papinianum respondisse; quod et constitutum est, preevenit enim  
causam pignoris fisci. Praeuenit fiscus alium creditorem non tem-  
pore; fiscus enim posterior contraxit, sed fiscus causam pignoris  
preevenit, hoc est acquisitionem rei a debitore factam, a qua tanquam  
a causa omnis effectus pignoris pendet, & proinde dum res vere de-  
bitori adquiritur, statim cum alio creditore concurrit, & ex legum  
favore preefertur. ANTON. FABER 80) hanc l. 28. D. de jure fisci ita  
explicat: fiscum habere hypothecam cum effectu, eo ipso quod con-  
trahat alterius autem creditoris hypothecam demum per adqui-  
sitionem rei oppignoratae a debitore post fisci contractum factam con-  
valescere, & proinde fiscum tempore priorem, ex jure communī  
quoque potiorem esse. In hac lege, inquit FABER is, qui cum priva-  
to expressam hypothecam habente contraxerat, postea cum fisco contraxis-  
se proponitur, cui legis beneficio in omnium debitorum bonis tacita hypo-  
theca constituitur, ut mirum non sit, si in bonis post utramque obligatio-  
nem quaevis preeferatur; non ex privilegio, quod Accursius tentat, sed

ex


79) l. 28. D. de jure fisci, 80) Conjectur, lib. 2. c. 10.

*ex jure communi, quo qui tempore prior est in pignoris constitutione, idem in pignoris persecutione potior quoque est.* Verum quidem est, fiscum etiam in bonis futuris eorum quibuscum contraxit hypothecam tacitam habere, at hanc fisci hypothecam in bonis futuris statim a tempore contractus effectum exserere, nusquam in Legibus sanctum legimus, & hinc praerogativa temporis, quam FABER ex nostra specie exsculpere voluit, fisco tribui vix poterit. Celeberrimus WESTPHAL 81) fiscum tempore priorem, non Iuris intellectu ut Faber putat, sed naturali ratione in lege nostra ponit statuit; at ea in re, quod omnes animadverterunt, grammatico sensu verborum vim intulit, qui potius innuit, fiscum postquam aliis creditor, jam pignus erat consecutus, contraxisse. CARPOVIVS 82) praeventionem fisci derivat ex speciali privilegio hypothecae tacitae, quae eam ob rationem antiquiori sit preferenda hypothecario creditori; *quod lex potentius operetur, quam privatorum conventio*, Fisco vero competit quidem privilegium, at ratio allata, quod lex potentius operetur quam privatorum conventio, non omnino valet, quam tacitae hypothecae per se non major insit jure Romano vis, quam conventionali. II. LVSTR. HELLEFELD vir nostra laude major, hanc de l. 28. D. de jure fisci sententiam tulit: 83)

"Hypotheca Creditorum, fisco anteriorum in rebus post fisci contractum adquisitis incipit a momento, quo debitori res suppositae sunt adquisitae, & nullum ejus initio obstatit impedimentum. Iam

C 2 "vero

81) vom Pfandrecht cap. 7. pag. 242, idem statuunt Noodt ad D. tit, de pign. pag. DONELLVS de pignore cap. 14. Cocceji jur. Controv. p. II, lib. 20, tit. 4. nec non Foppius ab Aetzema diff. ex Iur. civ. lib. 1. c. 4. in Meerm. thes. tom. 6. p. 807. qui particulam cum geminat, & legit: *cum cum fisco contrixerit.* 82) Resp. Elef. lib. 4. tit. 2. resp. 14. n. 8. 83) diff. de hypotheca fisci praesertim in bonis post contractum quaesitis. Ien. d. 30. Sept. 771. §. 20. 21. 22.



"vero eo momento, quo a debitore adquisitio fit, fiscus antiquior Creditor, iure hypothecae jam munitus existit, & fiscus plures allegare potest causas ob quas in pignore praevenisse dici potest; primo enim privilegium fisci est, inter omnes Creditores primum tenere locum 84); semper quoque fisco jus pignoris competit 85); porro fiscus jam ante adquisitionem a debitore factam jus pignoris certo modo est consecutus; inter cetera enim fisci privilegia est quoque jus vindicandi ea, quae debitor in ejus fraudem adquirere omisit 86); sive igitur ex contraetu, sive ex ultima voluntate debitori jus adquirendi sit quaesitum, fiscus jam ante actualem adquisitionem a debitore factam jus in re adquirenda habet quaesitum, & in invito debitore conditio, si res facta fuerit debitoris, potest adimpleri; hoc autem casu conditio retrotrahitur 87), quod aliter se habet in creditore privato, cuius jus incipit a momento actualis adquisitionis, & conditio retrahi nequit. Si igitur post contractum cum fisco initum debitor bona adquisiverit, alias vero adsit creditor ejusdem debitoris, cui jam ante contractum fisci debitor, quae habet, habiturusque esset, obligaverat, hujus pignus in rebus post contractum fisci adquisitis a momento adquisitionis demum incipit. At eodem momento jam adegit fiscus, qui itidem pignus habet, cum privilegio. Hinc fiscus inter omnes creditores licet non tempore tamen iure est prior ergo praevenit alterum creditorem, licet ratione crediti tempore anteriorem. Vellicat ILLVSTREM HELLFELDIVM, imo contra eum ex instituto disputat Celeberrimus SCHOTT 88)  
"ejus-

84) Paulus res sent, lib. V. tit. 12. §. 10. l. 34. D. de reb. auct. jud. postid. 85) l. 46. §. 3. D. de jure fisci. 86) l. 45. pr. D. eod. 87) l. 9. §. 1. D. qui pot. in pign. 88) diss. de vera causa praerogativa hypothecae fisci in bonis a debitore post contractum adquisitis ad l. 28. de jure fisci. Lipsiae d. 9. Apr. 1772. §. 4. 9. 10. II.

eiusque sententiam repugnantiae iususque verborum incusat, in primis succenset HELLFELDIO, quod praeventiōē fisci non privilegio, sed temporis prioritati adscribendam censuerit; re tamen vera & ratione explicandae legis ab eo dissidere non videtur. quamvis se ad Carpzovii partes adiplicerit.

## S. XIII.

ALTERVM EYNDAMENTVM PRAEROGATIVAE PIGNORVM  
EST PRIVILEGIVM.

Temporis magna est vis in aestimanda pignorum praerogativa, sed non eo usque valet ejus momentum, ut privilegia quoque hypothecis postea ortis a legibus concessā vincat. Iniquum est aliqui suum jus quaesitum auferre, nisi salus id exigit publica & proinde leges hac tantum sub conditione hoc privilegium concederunt: Iis enim creditoribus concessum est hoc beneficium, quos salus publica aliave causa favorabilis praferri jubet, vel qui jure separatis suum a creditore petere possunt 89). Hinc a legibus certi definiti sunt creditorum ordines eo jure, ut creditores prioris classis inter se quidem pro temporis ratione collocentur, at ut posterioris classis creditoribus, licet tempore prioribus praferantur 90); qui igitur privilegio pignoris s. hypothecae gaudent, aliis simile privilegium non habentibus, indistincte praferuntur & locum in secunda creditorum classe obtinent. Privilegia creditoribus concessā omnino triplicis sunt generis, primum est privilegium absolute tale, vi cuius creditores in prima classe locantur, alterum est privilegium pignoris, tertium privilegium exigendi, seu personale, quod quartam classem creditorī assignat 91). Hinc si cui, qui habet tale privilegium personale, deinceps constitutum est pignus, nihilominus

C 3

illud

89) Cel. Westphal, I. c. §. 156. 157. p. 228. 90) vid. Illustr. Koch diff. de pecunia ad emendum credita privilegiata & non privilegiata. Giffae d. 12. Mart. 1772. §. 2. ibique laudat. auctores. 91) id. §. 4. I. c. Petrus Vanderanus de privilegiis creditorum in Meermann, thes. tom. 2, pag. 671,



illud pignus manet simplex & sine jure praelationis in tercia classe locatur 92). Tale privilegium personale habet respublica, idem privilegium habet is, cuius pecunia praedium comparatum esse probatur, talis autem creditor, si ei res comparata non statim, sed postea sit specialiter pignori data licet privilegio personali gaudeat, ei que insuper praedium comparatum specialiter postea sit obligatum tamen non habet privilegium pignoris 93). Quamvis vero jus Romanum creditori, cuius pecunia comparatum est praedium tacitam haud concedat hypothecam, multo minus jus pignoris privilegium, hoc tamen in casu pignori conventionali expresso privilegium suo modo dederunt DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Impp. 94): licet iisdem pignoribus multis creditoribus diversis temporibus datis priores habeantur poriores: tamen eum cuius pecunia praedium comparatum probatur, quod ei pignori esse specialiter (obligatum) statim convenit, omnibus anteferri juris auctoritate declaratur. Quod autem ad rem pecunia pupilli emtam speciatim attinet non nulli ei indistincte tacitam attribuunt hypothecam eamque privilegiatam 95). Sed species a se invicem sunt secernendae, quas Illustr. KOCHIVS pro more suo, acute atque eleganter proposuit 96). Nempe vel comparat quis suo nomine rem pro pecunia pupillari sibi mutuo data, vel pro pecunia quae pupillo adhuc propria est, si posterius, vel tutor id facit, vel alias e. g. Mandatarius, actor, pecuniam pupilli detinens. Si tutor est, pupillus non solum utilem rei vindicationem habet, sed & hypothecam tacitam privilegiatam 97). Si alius, pupillo datur hypotheca tacita privilegiata. Si vero cuidam pecunia pupillaris sive ad emendum, sive simpliciter credita est, isque rem quandam illa pecunia comparavit, tunc pupillo creditor in nullibi data est tacita hypotheca 98).

## §.XIV.

92) Cel. Westphal, §. 168. p. 248. 93) Illustr. Koch I. c. §. 7. 94) I. 7. c. qui pot. in pign. 95) RICHTER de jure & privileg. creditor. c. 3. l. 4. n. 18. 96) diss. cit. §. 12. 97) I. 2. D. quando ex facto tuto. l. 3. D. de rebus cor. qui sub tut. 98) LAVTERBACH Coll. th. pr. lib. 20. tit. 12. §. 51. 52.



## S. XIV.

PIGNVS PVBLCVM PRAEFERTVR PRIVATO PRIORI.

Nos jam missis reliquis pignoribus privilegio munitis paullum immorabitur pignori publico. Data est hypothecis publicis, hoc est actis intervenientibus in judicio confirmatis, ut & quasi publicis, hoc est, trium vel amplius probatae atque integrae opinionis virorum subscriptione corroboratis praerogativa ab Imp. LEONE 99) : *Sin autem jus pignoris vel hypothecae ex hisusmodi instrumentis vindicare quis sibi contendere: eum, qui instrumentis publice confessis nititur praeponi decernimus etiam si posterior is contingatur: nisi forte probatae atque integrare opinionis trium vel amplius virorum subscriptiones eisdem idiochiris consineantur.* Tunc enim quasi publice conficta accipiuntur. Ratio cur LEO Imp. hypothecis publice constitutis prae prioritatis concessit, in fide nititur publica, quae plenam vim probandi habet, omnemque collusionis ac simulationis suspicionem removet, quod ipse iniuit Imp. LEO, qui primus hypothecas publicas, antea ex sola temporis ratione aestimandas elevavit, dum in principio Legis modo allatae publicas eum privatis comparat, hasque dicit saepe solere a quibusdam secrete fieri, ac proinde fraudi ad eas patere aditum; quid enim interest debitoris, creditori suo, cui favet, quemque reliquis suis creditoribus vult anteponi, vestiorem in instrumento pignoris adscribere diem? [quum tamen debitum utrumque solvi debeat. Quum igitur tempus contracti pignoris omnino certum & verum putandum sit in pignoribus publicis, incertum vero & dubium in privatis, hinc aequum est publicum privato, hoc licet antiquorem prae se ferat diem praeferriri, & qui privatum pignus contraxit, dannum exinde ortum sua neglentiae imputare debet, quod fidem publicam non adhibuerit, sed jus suum incertum & insirmius reliquerit, in jure enim non probari posse, & non esse vel non aequa probabilitate esse pari passu ambulant,

## S. XV.

ETIAM PRAEFERTVR LEGALI QVA TALI, NON AVTEM LEGALI, QVAE  
VT PVBELICA VEL QVASI PVBELICA SPECTARI POTEST.

Legales f. tacitae hypothecae in summa aequitate nituntur, quam ipsae leges agnoscunt ac proinde jus creditoris tutum salvumque reddere stut-

99) l. 10. c, qui pot. in pign. quam docte illustrat laudatus Westphal §. 166, p. 245.




student. In primis autem publicus hic legum favor respicit illas personas, quae ipsae sibi consulere, vel plane non vel saltem commode non possunt, quales sunt pupilli, minoresque, fiscus, respublica & pia corpora, ratione tutorum, curatorum & administratorum, nec non uxores ratione dotis & paraphernorum; dotes enim salvias esse publice interest, & amor conjugalis impedire videtur quo minus omnia adcuratissime excutiantur, plenamque sibi uxor in bonis mariti securitatem expresse constituat. Quamvis autem haec ita se habeant, privilegium tamen & praerogativa quedam hypothecis tacitis in legibus concessa non reperitur, sed ubi hypotheca legalis cum hypotheca expressa privata colliditur, generalis observatur regula, qua potior est jure quae prior tempore 100). In quaestione autem, an hypotheca publica anteferenda sit legali anteriori decidenda mire dissentient I Cti. LEYSERV 101) legales anteriores publicis posterioribus praefert, his subnixis rationibus: jus quod Lex ipsa & auctor eius princeps tribuit, non minus publicum est, quam id quod Magistratus inferior, minister legis & principis concedit; & fides publica magis forsan periclitaretur, si hi, qui legum auctoritate subnixi se suaque debitori, crediderunt, ab his quibus iudex favit excluderentur; Denique l. 11. C. qui pot. in qua privilegium hypothecarum judicialium fundatum est, eas non omnibus, sed iis saltem hypothecis, quas quis sibi ex privatiss instrumentis vindicare contendit, praefert. Idem statuit HUBERVS 102), qui contendit LEONEM hypothecis publicis prae legalibus praerogativam nullam dedisse, ac proinde Legales eodem quo antea ordine constituisse, ut publica eam non praecedat, sed utraque ex temporis prioritate aestimetur. HUBERVS sententiam suam sequenti specie illustrat: Titius hypotheca privata Sempronio obstrictus, postea fit tutor pupilli, deinceps hypothecam publicam ratione formae constituit Cajo; Concursu orto in bonis Titii, primo loco Cajum, secundo pupillum, tertio denique Sempronium ponit Huberus, neque obstatre putat regulam: *Vinco vincentem te, ergo & te,* quum huic regulae locus non sit, nisi in aquabili successorio, non ubi diversi ordines, ut hic, configantur. Obiter hic monendum, Cel. WESTHAL 103) adeu-

100) l. 3. c. qui pot. in pign. Pufendorf, obs. tom. I. obl. 211. 101) med. ad pand. Vol. 3. spec. 216. n. 1. 102) praelect. ad pand. tit. qui pot. in pign. n. 29. 103) l. c. §. 164. pag. 239.

adcuratius hanc regulam ita destinare: si vinco illum ex aliqua causa, quis ex eadem vincit te, etiam vineo te. Consentit quoque BERGER 104) qui sit dispositionem Legis 11, C. qui pot. in pignore praetorio & judiciali itemque in hypotheca tacita locum non habere, quum ea Lex de solo conventionali sive voluntario sit intelligenda, quum e contrario praetorium pariter ac judiciale a solo magistratu invito debitore, tacita hypotheca autem ab ipsamet lege constituitur. VOTIVS 105) etiam testatur apud Belgas legales hypothecas & registratas h. c. publicas secundum ordinem temporis inter se collocari. His rationibus accedit & id; si Lex alieui prospicit plenissime & cum effectu prospectum intelligitur; hypothecis autem publicis junioribus constitutis omnis securitas, quam leges ex causa publice utilidant, facile intervertitur quum saepe accidat, ut creditores, quibus haec hypotheca datur, sibi ipsis prospicere nequeant 106). Aliis autem DDBus contraria sententia probabilior visa; ipse Pufendorfius contrariam amplectitur, qui 107) revera ait, Leonem Imp. publicis hypothecis per consequentiam quandam prae legalibus quoque prerogativam dedisse. Nam quum antea omnes hypothecae, quae privilegium non haberent, eodem ordine, ex temporis ratione constiterent, Leo publicas, quum privatis scripturis praeposuit, revera ex ordine sustulit, pauloque altius levavit, legalis autem eo ordine constituta manxit, quo antea fuit. Deinde verum est minus a majori superari. Atqui major videtur hypotheca publica, quia Legalis conventionali privatee aequalis, non major intelligitur, adeoque publica hypotheca non tantum privatam conventionalem, sed & Legalem eidem aequalem ut major superat. In eandem sententiam discessit Cl. DIETERICH fautor atque Amicus aestimatissimus 108). Confirmant deinde hanc sententiam Responfa Illustris facultatis iuridicas Erfurtensis 109): Dennoch aber und dieweilen inter hypothecas publicas ratione causae efficientis, quee non facto debitoris ejusque consensu, sed per legis dispositionem constituuntur, & inter hypothecas publicas ratione modi constituendi, quae ipsis debitoris consensu publica auctoritate & fide constituantur, & instrumentis publice confectis nituntur, ein großer Unterschied zu machen, gehalten diese in concursu Creditorum obcessantem praesumptionem.

104) Oec. jur. lib. 2, tit. §. 8. n. 5. 105) ad pand. tit. de pign. n. 11. 106) Pufendorf. l. c. p. 539. 107) l. c. p. 540. 108) Jurispr. positiv. civ. priv. l. 1, lit 29, §. 368. 109) Resp. XIII, n. 7. 8. 9. 10,



tionem fraudis & anticipationis vor denen privat hypothecis secundum constitutionem Leoninam ihren unstrittigen Vorzug haben, worunter aber jene hypothecae publicae ratione causae efficientis privato contractui & instrumento adjectae, bey welchen die prae sumptio fraudis & anticipatio nis, beonders bey denen pignoribus mixtis, so factum hominis supponi ren, nicht cessret, keinesweges zu referiren, noch selbigen vor den aelteren privat hypothecis einiger Vorzug gebühret, sondern da sie ratione modi constituendi pro privatiss zu halten, dieselbe ex praerogativa temporis zu lociren sind, quia Lex hoc in casu non magis potenter operari potest, quam convenientia hominis. Nobis, si in tantorum virorum dissensu ericere licet, media cum cel. WESTPHAL 110 arridet sententia, nempe hypothecas legales, tempore priore, si tam ipsum debitum, ob quod a lege conceduntur, quam dies, quo contractum est illud debitum, plena fide probari possit, publicis posterioribus hypothecis esse jure anteponendas. Id enim ex ipsa ratione legis 11. C. qui pot. eluet, qua privilegium pignori publico datum est, non ob internum suum momentum, sed ob certitudinem, quae ex fide publica adhibita colligi debet; eadem autem vis, in hac lege data est instrumento quasi publico, quo videlicet probatae atque integrae opinionis trium vel amplius virorum subscriptiones contineantur. Hypotheca legalis per se, quia ratio ob quam competit in facto constitit, nec fide destituitur, nec fide munitur, omnia a probatione facti illius pendent. Si igitur factum illud ex quo oriatur hypotheca legalis, evidenter probari possit, fides talis hypothecae, fide hypothecae publicae non erit inferior, ac proinde utraque ex temporis ratione erit locanda. Tacita igitur hypotheca pupilli in iis, quae fide plena nituntur, erit numeranda, nec non ea quae fisco competit, ut & hypotheca intuitu rei dotalis, si do tis illatio documentis indubio probari queat; itaque non adest ratio, cur tales hypothecae legales publicis tempore posterioribus cedere cogantur.

110) l. c. §. 167.

**FINIS.**

Erfurt, Diss., 1770-73

ULB Halle  
004 176 472

3



f

Sb.





1772, 2  
2 359 10

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVG<sup>R</sup>ALIS IVRIDICA  
DE

**PIGNORVM PRAEROGA-  
TIVA GENERATIM, ET SPECIATIM  
DE PIGNORE PVBLICO, PIGNORI  
LEGALI NON INDISTINCTE  
ANTEPONENDO.**

---

Q V A M

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN ALMA ET PERANTIQA VNIVERSITATE ERFVRTENSI,  
NVNC INSTAVRATA EMERICIANA,  
SINE P R A E S I D E

**PRO GRADV LICENTIATI**

AC PENDENTIBVS INDE PRIVILEGIIS ET HONORIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

D. X. AVG. MDCCCLXXII.

IN AVDITORIO IVRIDICO  
DISQVISITIONI ERVDITORVM PVELICAE SVEMITTIT

A V C T O R

**FRIDERICVS HENRICVS SATOR**

ASCHAFFENBURGENSIS MOGONVS.

\* E R F O R D I A , EX OFFICINA HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYP.